Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Tempore quo pelagius venerabilis papa romanam regebat ecclesiam, fuit aquae diluvium in multis regionibus Italiae, quale post Noe tempus creditur non fuisse. Factae sunt lavinae possessionum seu villarum hominumque pariter et animantium magnus interitus. In hac diluvii effusione intantum apud urbem Romam fluvius Tyberis excrevit, ut aquae super muros eius urbis influerent et maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alveum eiusdem fluminis cum multa serpentium multitudine draco etiam mirae magnitudinis per urbem transiens usque ad mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem gravissima pestilentia quam inguinariam appellant, quae tanta strage populum devastavit ut de inestimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium papam venerabilem percussit et sine mora extinxit. Deinde pastore interempto sese per populum extendit. In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius qui tunc levita erat a cunctis generaliter papa electus est. Qui dum septiformem letaniam fieri ordinasset, infra unius horae spacium cum hi deprecarentur LXXX ex eis subito ad terram corruentes exalarunt. Ita namque praecepit dicens:

Letania clericorum exeat ab ecclesia beati Iohannis baptistae.

Letania virorum ab ecclesia sancti martiris Marcelli.

Letania monachorum ab ecclesia martyrum Iohannis et Pauli.

Letania ancillarum dei ab ecclesia beatorum martyrum Cosmae et Damiani.

Letania feminarum coniugatarum ab ecclesia beati Petri et martyris Stephani.

Letania viduarum ab ecclesia beati martyris Vitalis.

Letania pauperum et infantium ab ecclesia beatae martyris Ceciliae.

*Ordo in inventione sanctae CRUCIS.*

*Leguntur lectiones quae et in natali eius plurimorum martyrum sive omeliae ad ipsum diem pertinentes. De Rogationibus.*

Tres autem dies rogationum qui celebrantur ante ascensionem domini iuxta morem Gallicanae ecclesiae constituit sanctus Mamertus Viennensis episcopus ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quae tunc temporis gravissime affligebant populum domini. Quae consuetudo apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus devotissime recolitur. Antiphonae vero ad reliquias deducendas in libro graduali vel antiphonario quaerentibus occurrent per singulos tres dies. Sequitur una varietas inter octavas paschae et vigilias pentecostes. Hoc est triduanum ieiunium quod fit ante ascensionem domini.

A QUO PRIMUM INITIUM

A presens ieiunium sumeret, Gregorius Turonensis manifestat in gestis Francorum ita dicens: In his temporibus fuit in Vienna urbe terrae motus maximus, ubi multae ecclesiae et domus multorum concussae sunt et subversae. Ubi bestiae multae oberrantes, lupi, ursi ac cervi ingressi sunt per portam civitatis devorantes plurimos. Per totum annum hoc faciebant. Nam veniente sollempnitate sancti paschae sanctus Mamertus qui in ea urbe erat episcopus dum missarum sacrificia ipsa vigilia celebraret, palacium quoque quod in ea civitate erat divino igne succensum est.